



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 85. Senatus Ministri a Fœderatis nominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. hilominus horum Senatorum plures eadem adhuc die, alii vero paucis post diebus libertate donati fuere, eo quod in Clerici Bussii indice descripti non fuissent.

§. LXXXV.

*Senatus Ministri a Fœderatis nominati.*

*Davil. l. 10. Journal de Henri. I. pag. 107.* Interea Præsides, ac Consiliarii, qui non fuerant comprehensi, in primum Præsidem nominabant Barnabam Brissonium celebrem Senatorem, qui quamvis suspectæ fidei Vir haberetur, cum tamen sexdecim Regionum Præfectis promississet, quod probi Viri, seu ut ipsi intelligebant, hominis sancto fœderi addicti partes strenue explere velit, in supremum Curixæ caput eligebatur, quam tamen dignitatem ambiisse videtur. Hic idem die Sabbati decima septima Januarii confessum habuit, ac feria quarta die vigesima prima ejusdem Mensis Moleus Senator non ita pridem ex Bastillæ carcere dimissus Procuratoris Generalis officio fungi jubebatur, Joannes vero Magister, & Ludovicus Aurelianensis, qui antea Curixæ Advocati erant, in generales causarum Cognitores nominabantur: verum Brissonium brevi acceptatæ primi Præsidis dignitatis pœnitentia subibat.



ibat; verebatur enim, ne exinde plura Sæcul. XVI.  
 Regis obsequio aduersa attentare, ac A.C. 1589.  
 proin se, suamque familiam extremo  
 excidio exponere cogeretur: cum vero  
 temporis necessitati cedendum arbitra-  
 retur, dignitatem suam retinuit, unice  
 die vigesima secunda Januarii palam  
 professus, quod semper fidelis Regis sui  
 famulus permaneret, ac nonnisi invi-  
 tus, armorumque terrore, necnon po-  
 puli in rabiem acti violentiis adactus,  
 hoc munus acceptarit, ut hac ratione,  
 cum alia via mortem declinare non pos-  
 set, eandem evaderet. Hanc suam  
 quoque declarationem proprio chiro-  
 grapho munitam a duobus Notariis suo  
 testimonio firmari voluit.

§. LXXXVI.

*Nova juramenti formula pro fœderis  
 conservatione.*

Fœderati cum novum etiam hunc Se-  
 natum pro summo imperio sibi sub-  
 jicere pararent, hinc die trigesima Ja-  
 nuarii omnibus novam juramenti for-  
 mulam proponebant, per quam omnes  
 Principes, Præsules, Præsides, Con-  
 siliarii, aliique Ministri fidem suam Deo,  
 gloriosæ ejus Matri, Angelis, & om-  
 nibus Sanctis Paradisi obstringebant,  
 se in Catholica Apostolica Romana Re-  
 ligione victuros, & morituros, ac pro  
 ejus

*Thuan. 63  
 Davila l. c.  
 Spond. n. 4.  
 Mem. de la  
 Lig. t. 3.  
 pag. 190.*